cipuè egerim. Vos, Quirites, jussistis me bellum gerere cum
Jugurthâ, quam rem molestè accepit Nobilitas. Etiam atque eti-
am itaque Vos rogo, oro atque obtestor, ut diquiratis animis vestris,
num id decretum mutari sit melius; si aliquem ex famoso illo
coetu Nobilium conglobato ad bellum Jugurthinum, aut ad aliud
tale negocium, mittatis hominem; hominem, inquam, antiquae prosapiae
ac multarum coronarum s. imaginum per ordinem intra atriorum pa-
latiorum parietes eleganter dispositarum, et mittatis insuper
hominem, qui ipse nunquam stipendia fecerit, neque militaverit.
Scilicet, ut in tantâ re prorsus inexpertus trepidet, hinc inde cur-
sitet, anxiè quaerens in populo aliquem, quo utatur officii sui
monitore. Hoc pacto evenit plerumque, ut, cui Vos commisistis
imperium, is sibi quaerat Imperatorem et monitorem alium,
ad cujus nutum se, suaque omnia componat. Atque, ô Quirites, Ego
scio plurimos perpsi ordinis homines, facientes prius, quod poste-
rius faciendum erat, et è converso. Ex his nonnulli, post-
quam Consules creati fuerunt, acta Majorum suorum, et prae-
cepta militaria ex Graecorum libris, de re militari tractan-
tibus, legere demum coeperunt: quos ideò rectè quis dixerit
homines praeposteros. Nam administrare decenter consulatum,
quantum ad tempus, posterius est, quam fieri Consulem, re atque
utilitate prius ac potius. Conferte me, Quirites, hominem no-
vum, qui nunquam fui, neque Majores in Magistratu habui,
cum tam inani Nobilium superbiâ. Ego, quae illi ignari,
in umbrâ versari soliti, à legentibus vel narrantibus audire,
aut ipsi in libris legere solent, partem illorum vidi, et alia, quae
non vidi, egomet gessi, quae illi ex scriptis didicerunt, ea Ego
didici militando. Nunc Vos rectè judicate, utrum facta, an
verba, quae scribuntur, et legendo dicuntur, quae haud du-
biè facta, majoris sint momenti. Illi Nobilitatis novitatem
meam susque deque habent. Ego illorum ignaviam contemno. Frequen-
ter ad contumeliam mihi objicitur, quod Nobiles Majores
non sim